

D. O. D.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
FUNDAMENTIS PRECARIIS
POTESTATIS,
PRÆCIPUE
CIVILIS, PONTIFICIS ROMANI,

Cujus

PARTEM PRIOREM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOS.
IN REG. ACADEM. ABOËNSI,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNÉ BILMARK,

HISTOR. ET PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

Publice ventilandam sistit

FREDERICUS RIGNER,

Ostro-Gothus,

In AUDITORIO MAJORI Die XX Junii
Anni MDCCLXXX.

H. A. M. C.

ABOË,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

Handelsmannen i Lindsjöping,

Högachtad

Herr *GABRIEL LUNDERBERG,*

Och

Fru *MARIANA LUNDERBERG,*

Född *WEFVER,*

Mine Huldaste Föräldrar.

J

brist af bättre wedermåle, at mot Mine Huldaste Föräldrar förklara min wördnadsfullaste årkänsla för den öm-
ma omwårdnad och många wälgjerningar, dem jag från
spådeste åren af mine K. Föräldrar åtnjutit, får jag här-
medelst öfwerlämna åt Mine Huldaste Föräldrar detta
mitt första Vårdoms prof, under innerlig önskan, at Edar
lesnad må wara så långwarig och förnösam, som den wörd-
nad är upriktig, hwarmed jag har åran förblifwa

Mine Huldaste Föräldrars

Öydigste Son
FREDRIC RIGNÉR,



PRÆFATIO.

Ea est multarum rerum tam naturalium, quam civilium vicissitudo, ut ex tenui initio in eximiam sæpe excrescant magnitudinem, & pro momentorum concurrentium ratione, longe lateque sua explicent vel comoda vel etiam incommoda. Sic terræ gremio exile committitur semen, ex quo temporis successu proceræ existit arbor, sub qua animalium cohortes non solum delitescere, sed etiam ex ejusdem fructibus necessarium accipere possunt alimentum. Similiter ex parvis hominum manipulis, qui circa angusta urbium patriarum mœnia reptarunt, intra aliquot sæculorum spatium partim fœderibus inter vicinas gentes initis, partim armorum successu, formata sunt imperia, incolis luxuriantia & regiones maxime distitas suo ambitu comprehendentia; adeo ut heic quadret, quod Poëta olim cecinit: *crescit in immensum quod fuit ante nihil.* Haud opus est, ut multis exemplis adferri nostri veritas vindicetur, sufficiat citasse Pontificis Romani potestatem, quæ cum ab initio esset valde angusta, & ad ordinem in Ecclesiæ Dei stabilendum ac conservandum tota quanta videretur comparata, postmodum, ingruentibus præsertim ignorantæ tenebris atque ingravescentibus superstitionum præstigiis ita increvit, ut sceptræ totius mundi suo pedo subicere niterentur Papæ Romani. Principibus etiam de solis deturbandis ac sibi subjiendis valida satis adhibebant arma, excommunicationem scilicet &

Ecclesiæ libertatem. Per illam enim, quæ reprobationem Divinam contineri jactabant, ad secularia extensam, Principum animi poterant frangi, & omnis horum potentia, debitæ civium obedientiæ innixa, dissolvi; per per hanc vero si ad institutum opportune accommodaretur, electio libera, jus investituræ & majestas, quæ ab imperante plane non penderet, haberi poterant. Hoc eo usque valuit, ut quidam Pontifices Romani prorsus obliviscerentur, se homines esse & fatuæ adulatorum cohorti facile permetterent, ut se nuncuparent *Vice-Deos, Christianæ reipublicæ monarchas invictissimos, nec non Pontificiæ omnipotentie conservatores acerrimos*, qualia elogia Papæ PAULO V tributa fuisse novimus (a). Et Pontifex Romanus SIXIUS V eo impudentiæ fuit progressus, ut in bulla contra Galliarum Regem HENRICUM III in hæc eruperit verba: *Ego supremam in omnes Reges & Principes universæ terræ, cunctosque populos non humana, sed Divina institutione mihi traditam potestatem obtineo* &c. Quamvis autem Pontifices Romani tantam sibi adserant potentiam; juvat tamen luculentis ostendere argumentis, precarium omnino esse fundamentum, cui potestas præcipue civilis Pontificis Romani innititur.

(a) Vid. MORNÆI Præfat. Libri de Myst. inquit. Quocirca miseranda est vox miserabilis Ravaillaci rationem regicidii coram iudicibus daturi: *Car faisant la guerre contre le Pape, disoit-il, c' étoit la faire contre Dieu, d' autant que le Pape est Dieu & Dieu étoit le Pape*, vid. Lexicon de Bayle, art. Marian.

§. I.

Quum æqualitatem inter homines naturalem turbatam

tam ægre ferant plerique: nemini etiam, majorem præ-
 ceteris potestatem sibi adserenti, fidem facile habent,
 nisi idem indubium justæ prærogativæ titulum producere
 valeat. Quo ne Pontifices Romani viderentur destituti,
 potestatis suæ tantum non immensæ scilicet institutionem
 non humanam, sed Divinam, jactant, sicuti modo vidimus.
 Et ne ullum hujus rei supersit dubium, diploma supereminens
 auctoritatis suæ ex Scriptura Sacra adeo solide deducunt,
 ut quotquot infallibilitatem Papæ agnoscunt, & Sacrum
 codicem consulere non audent, in argumentatione Pontifi-
 ciali petitionem principii, uti loquuntur Logici, animadvertant
 nullam. In hunc igitur modum Papa Romanus concludit:
 omnem potestatem a Deo Christo, a Christo Petro, ejusque
 successoribus, Episcopis Romanis datam; eisdem religione
 jurisjurandi & conditione parendi perpetua, ceteris vero
 Principibus temporario duntaxat sacramento, quoad illis
 libeat, quemvis Christianum esse adstrictum, & quæ sequuntur
 (a). vesanæ arrogantia oracula potius, quam sanæ rationis
 argumenta. Hoc plenius explicaturi Pontifices, ceterique
 qui in ipsorum jurant verba, contendunt, Apostolum
 PETRUM fuisse ceterorum Christi Apostolorum principem,
 binas claves ipsi a Salvatore nostro traditas designare
 duplicem eandemque supremam potestatem, ecclesiasticam
 videlicet & civilem: Petrum insuper non solum Romam
 venisse, sed etiam per XXV annos Episcopatum ibidem
 gessisse, & primatum constituisse. Enimvero quot in
 his occurrunt argutiæ, totidem etiam animadvertere licet
 ineptias, id quod strictim nunc ostendemus. Quod Christus
 a Deo, Patre Suo, omnem potestatem in celo & in terra
 sibi communicatam habeat, clara Scripturæ Sæ verba
 Matth. XXVIII. 18. dubitare sinunt neminem.

Tantum tamen abfuit, ut ifthac potestate ad constituendum imperium quoddam terrestre uti unquam voluerit, ut potius exactoribus Romanis, de vectigali ipsiſum convenientibus, confuetum denarium tam pro ſe, quam pro Petro, ſolvendum curaverit Matth. XVII. 27. Dicipulos etjam ſuos a falſa, quam animo conceperant, opinione, quod terrestre ſeu civile conſtitueret regnum, ad ſaniorum mentem ſollicite revocavit. *Reges gentium inquit Salvator dominantur eis - - - Vos autem non ita:* Luc. XXII. 25, 26. Præterea diſcipulis ſuis, munus Apoſtolicum auſpicaturis, inſigne potestatis ac muneris ipſorum dedit non falces & ſecures, ſed tunicam & baculum, ut intelligerent, ſe miniſtros, non autem dominos eſſe. Quum itaque ſinguli Apoſtoli ſingulas orbis terras, ut proprias poſſeſſiones, a Supremo rerum omnium Domino non acceperint, nullo quoque legitimo titulo eaſdem in alios, ſi ita forte voluiſſent, transferre potuerunt; quare potestas clavis ligantis & ſolventis non ultra eccleſiam, immo ne quidem ad hujus ſubjectionem, erit extendenda; ſed ædificationi ac moderationi ejuſdem applicanda (*b*). Certum præterea eſt, quod civis, qualis erat Petrus, cui claves alicujus urbis a Principe traduntur, eo facto non evadat Princeps, ſed miniſter ſit, quin & oſtiarius, qui nomine Principis declarat, quid ſive a civibus, ſive a peregrinis requiratur, ſi in urbem, ſuæ fidei commiſſam, vel ingredi, vel ex eadem egredi velint. Ex quibus omnibus conſequitur, aut Chriſtum ſibi non conſenſiſſe in ſuis mandatis Petro datis, aut perverſe eadem, nec analogiæ fidei, ſed ſuæ ambitioni convenienter applicare Pontifices Romanos; quum vero prius ſit abſurdum & cogitatu prorfus horrendum, in poſteriori ſententia ſubſiſtent omnes a partium ſtudio alieni; adeoque precarium
omni-

omnino est fundamentum, quod ex clave ligante & solvente sumunt Papæ Romani ad civilem suam, eandemque præminentem, potentiam constituendam.

(a) Vid. *Boxhorni Histor. Universal. p. m. 663.* (b) Immo clavem ligantem & solventem, id est potestatem retinendi ac remittendi peccata non solum Petro, sed omnibus Apostolis ex æquo tradidit Salvator, siquidem Apostolos adflans dixerit: *Quibus remiseritis peccata, his erunt remissa &c. Job. XX. 23.*

§. II.

Enimvero ne sic causa sua de principatu Petri cecidisse videantur Pontificii, aliis adhuc rationum arietibus eandem defendere summopere allaborant. Occasione enim responsionis Christi Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam,* contendunt, principatum Petro fuisse concessum. Sed quilibet, in meridiana luce non cæcutiens, mox perspicit, per *petram* in allato loco non intelligi personam Petri, quippe qui eo infirmitatis fuit prolapsus, ut, ingruente persecutionis procella, Salvatorem, optime de se meritum, leviter admodum pernegaverit, sed indigitari confessionem, nomine ceterorum ab hoc Apostolo prolatam: quod *Christus esset Filius Dei viventis* (a), quæ veritas est firmissimum Ecclesiæ fundamentum. Præterea in verbis modo allatis plane & aperte loquitur Salvator noster de Ecclesiæ suæ conservatione, nec subinnuit, potestatem quandam civilem ab Apostolo Petro esse sequenti tempore constituendam. Ulterius gratis quoque adseritur, Petrum fuisse principem Apostolorum; siquidem ex Hi-

Historia Biblica constet, quod Salvator noster præcipue dilexerit Iohannem: nec Petrus majoris præ ceteris fuit auctoritatis, quem videlicet levitatis in officio Apostolico administrando redarguit Paulus, quod a syncretismo quodam parum abesset, Gal. II. 11, 12. & ad saniores mentes reduxit. Immo in Concilio Hierosolymitano decretoriam sententiam in exorta controversia de circumcissionis necessitate reliquorum nomine edixit Jacobus, Alphaï filius, *Minor* alioquin dictus, non Petrus, quamvis præsens esset, ceu ex Act. Apost. Cap. XV, luculenter patet.

(a) Elegans hac de re est dictum B. Chrysostromi Con. Pentecost. *Super petram dixit Christus, non super Petrum; nec enim super hominem, sed super fidem fundata est ecclesia.*

§. III.

Potestatem tantam, quantam habuisse prætenditur B. Petrus, successoribus suis, Pontificibus Romanis, quum ipse Episcopatum Romæ teneret, tradisse hunc Apostolum, contendunt quotquot oraculis Papatum summam habent fidem; quam tamen carbonariam solummodo esse urgent illi, qui non tam verbis, quam factis credunt. Jure enim dubitari potest, an Tiberis ostia unquam subierit Petrus, Sacris hoc ipsum non tacentibus modo, sed contrarium quoque testantibus pandectis, Paulum nempe gentilibus, Petrum autem Judæis præcipue prædicasse: illum Romæ, hunc autem Antiochiæ sedem suam habuisse. Præterea CLEMENS Romanus, quem discipulum Petri fuisse, nullo nixi argumento contendunt Pontificii, qui autem vel primus Romæ Episco-

piscopus circa An Chr. 70. fuit, vel saltem inter pri-
 mos, multis quidem itinera Pauli tam in oriente, quam
 in Occidente, edisserit, sed quod Petrus Romam vene-
 rit nullibi indicat; quare etiam habemus SPANHEMII
 Dissertationem de ficta profectioe Petri in urbem Ro-
 mam (a). Attamen cum posteriores Scriptores IGNATI-
 US, IRENÆUS, TERTULLIANUS aliique adserant, Pe-
 trum & Paulum socias collocasse operas in Evangelio
 Romæ prædicando, probabile multis videtur, Petrum
 quoque Romani salutasse. Quid autem in urbe domi-
 na egerit, si a prædicatione evangelii sibi commissa,
 quæ dominationi civili introducendæ titulum plane nul-
 lum præbet, abstrahamus, id conjecturis tantummodo
 erit adsequendum. De Apostolo autem Paulo constat,
 quod ipse dum Romæ fuit, religionis Christianæ causam
 egerit & compedibus vinctus licet libertatem Eccle-
 siæ vindicaverit, immo epistolam, quam Christianæ fi-
 dei medullam haud immerito quis dixerit, conversis
 Romanis antea scripserit, quam ipsos inviseret; quæ
 omnia commonstrant, insignia fuisse gentium Doctoris
 in ecclesiam, Romæ plantatam, merita, ut adeo quis mi-
 rari posset, cur Pontifices Romani non urgeant, se vastam
 suam potestatem a Paulo, sed a Petro accepisse.
 Enimvero mirari desinet, quisquis perpenderit, Petrum
 stupendas illas regni cælorum claves immediate a Salva-
 tore nostro accepisse, hujusque proinde Apostoli nomen
 fuisse aptissimum, quod terrorem singulis injiceret, qui
 ipsius successoribus & auctoritatis hæredibus, quales se
 jactant Romani Pontifices, cæcam non præstarent obe-
 dientiam, & se suaque pro illis non devoverent. Quic-
 quid sit, quam neuter horum Apostolorum a gloriæ
 Principe, Christo, in mandatis acceperit, ut Episcopatum,
 nedum primatum quendam aut principatum Romæ

* * * * *

constitueret; concludere omnino par est, quod uterque officii, sibi injuncti, haud immemor, & animarum proinde curæ intentus, civiles dignitates aut despexerit, aut saltem non curaverit. Quare etiam AVENTINUS veritatis magis quam patrocinii papalis studiosus facetur, *se de auctoritate & Episcopatu D. Petri conjecturas tantum humanas, nihil autem certi adferre posse* (b). Etposito quidem sed non concessio, privilegia quædam Petro a Salvatore nostro fuisse indulta; unde, quæso, probabunt Pontificii, hæc ad solos Romanos, non vero ad Antiochenos, fuisse devoluta, quum tamen ecclesiam Antiochenam, æque ac Romanam, fatentibus Papicolis, fundaverit Petrus?

(a) *In Oper. Tom. II.* (b) *In Libro I. Annal Bojor.*

§. IV.

Plana, ut arbitramur, sunt ea, quæ hæctenus in medium attulimus, atque tam Scripturæ Sæ, quam rationi consentanea; attamen ne Romanenses quidquam, quod roboris speciem habeat, in contrarium possint proponere, sciendum est, quod primi Pontifices Romani, ex coetu Christianorum electi, satis sese modeste gesserint, in id, sicut Historia docet, tantummodo intenti, ut oves, suæ curæ commissas, ad mandatum Salvatoris & exemplum Petri pascerent & ecclesiæ Christianæ commoda promoverent. Quare etiam in annalibus primorum sæculorum celebris nulla fit mentio Episcoporum Romanorum; procul dubio, quod exiguus vel rectius nullus fuerit horum ista ætate in statum publicum influxus. Immo ne quidem in Synodis Ecclesiasticis illimitata adeo

fuit

fuit illorum auctoritas, ut decreta eorum ibidem ad examen non revocarentur, & pro re nota vel approbarentur, vel emendarentur, vel rejicerentur. Quid? Quod Pontifex Romanus ne quidem primus inter pares sit habitus. Comprobat hoc memorabile Patris Stridonensis, B. HIERONYMI, qui Sæculo IV vixit, estatum: *ubicunque Episcopus fuerit, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rbegii, sive Alexandria, ejusdem est meriti ac sacerdotii.* Hærebat scilicet in omnium animis prima & Apostolica rerum facies, & auctoritas Scripturæ S:æ maximam adhuc partem erat integra, qua ipsis Apostolis & singulis Christi ministris injungebatur docere, pascere ac subjectos esse; dominari autem & potestati civili sese opponere prorsus interdicebatur. *Patrimonium igitur Petri* per longum satis temporis spatium ignorarunt Pontifices Romani, qui proximi habentur Petri successores, quod sequioris ævi superstitione demum introduxit, specioso nomine, quum justo possessionis titulo non posset, tuitura fictitium quoddam jus in loca, hoc nomine comprehensa.

§. V.

Toto illo temporis intervallo, quo Imperatores Romani Religionem Christianam nondum fuerant amplexi, quod sæculo IV factum fuisse novimus, Ecclesia primitiva adeo fuit quassata, ut persecutionum tempestatibus ferme fatisceret. Tantum igitur absuit, ut Præsules Romani monarchiam quandam sive ecclesiasticam sive civilem adfectaverint, ut potius bene illi vixerint, qui bene latuerunt, caris & cogitationibus eorum non in seipos, sed in commodum ecclesiæ conversis. Titulum Pontificis Romani non tantum Imperatores, gentilium sacris addicti, sibi vindicarunt, sed eundem Monarchæ etjam Christiani

B

usque

usque ad imperatorem GRATIANUM retinuerunt, non ut potentiam suam hoc modo auferent, quippe quam de cetero habuerunt maximam, sed ut gentilium superstitiones & motus, si qui forte intra Ecclesiae adolescentis finem existerent, tanto majori auctoritate in ipsa supprimerent herba. Quocirca a nobis non erit recidendum, quid circa praesens negotium sub imperatore MAXENTIO contigerit. Scilicet ut hic benivolentiam Christianorum a CONSTANTINO M, gravissimo imperii æmulo, obtentam, sibi devinciret, non solum severe interdixit Christianos persequi, sed etiam adeo simulavit, se ad Christianismum propendere, ut tantum non omnibus fucum faceret. Hinc factum est, ut liberius mox per Italiam spirare cœperit vexata hactenus Christiana religio, & Papa MARCELLUS cum propagationi doctrinae Christianae, tum etiam operibus caritatis exercendis invigilaverit. Præterea idem Episcopus persuasit duabus feminis Christianis, eisdemque opulentis, Priscillae atque Lucinae, illi quidem, ut exstrueret cœmeterium in via Salaria, huic autem, ut opes suas testamento legaret ecclesiae. Hanc vero Papæ Romani industriam ægre adeo tulit Maxentius, ut Marcellum coegerit, idolis suis sacrificare; & cum impium hoc facinus detestaretur pius Episcopus, ipsum a gradu Episcopali in stabulum detruxit, ut equisonem ageret, & aedes a sordibus purgaret (a).

(a) Vid. *ANASTASII vita Marcelli* & *PLATINAI in Marcell. nec non BARONII Annal.*

§ VI.

Melior omnino facta est Episcoporum Romanorum conditio sub imperatore CONSTANTINO MAGNO, qui ipsis non solum familiariter fuit usus, sed ad mensam quoque suam,

suam, qui extraordinarius tunc habebatur honos, eos interdum admittit. Immo post varios casus Roma potitus CONSTANTINUS Episcopus hujus urbis concessit palatium Lateranense; quas aedes pridem possederat Plautius Lateranus, quem Nero occidi iusserat, bona ejus, quæ amplissima fuerunt, fisco adjudicans. Exstruendum insuper curavit hic Imperator Romæ Templum Constantinianum, quod postea Lateranense nuncupatum, illudque concessit Papæ MILTIADI, hujusque successoribus; quæ primæ fuisse videntur Episcoporum Romanorum possessiones. Interjecto tempore sicut magis magisque aucta fuit potentia imperatoris modo memorati; ita cum Romæ, tum aliis in urbibus plura exstruenda curavit templa, quibus Episcopos & Sacerdotes præfecit, certos illis assignans fundos, quorum redditus ipsorum sustentationi interservirent (a). Quibus tamen donationibus in Ecclesiis magis, quam Papæ aut Ephorum commodum factis, Imperator hos non exemit a nexu subjectionis, qua Principi suo jam pridem fuerant obstructi, nedum potentia æmulos sibi dare voluit. Addo, quod Episcopi Romani primorum sæculorum tanto minus sui juris fuerint, ut ne quidem Synodos Ecclesiasticas, nisi imperata prius Imperatorum venia, convocare potuerint; quibus conventibus hi etiam nonnunquam præsidebant, aciem mentis in id intendentes, ne sub religionis propagandæ obtentu tranquillitas publica turbaretur.

(a) Vid. *Libr. I. EUSEBII in vit. Constantini M. nec non Baronii Annal. ad An. 312.*

§ VII.

Sicut Imperator CONSTANTINUS M. de veritate ac præstantia Religionis Christianæ plurimis documentis fuit convictus; ita etiam de vero Supremi Numinis cultu tam in-

staurando, quam promovendo perquam fuit sollicitus, probos evangelii præcones sua non solum amicitia dignatus, sed eosdem quoque maximis, ceu antecedente § luculenter ostendimus, cumulans beneficiis. Enimvero quum ævi sequioris Episcopi Romani agre admodum ferrent potentiam suam intra Ecclesiarum angustias includi & eam magis magisque augere operose studerent, ne tamen in aliena jura sese temere ingestisse viderentur, commentum sunt, Imperatorem modo memoratum tam jurisdictionem eorum insigniter extendisse, quam ingenti donatione potestatem eorum ecclesiasticam & civilem auxisse. Quare instituti nostri ratio postulat, ut momentum hoc utrumque ad veritatis lancem expendamus. In serie Constitutionum, quæ in codice Theodosiano habentur, occurrit titulus de Jurisdictione Episcopali, cujus primum statutum a Pontificum clientibus tribuitur Constantino M. continetque supremam Episcoporum in judiciis auctoritatem. Si specialia quis desideret, pauca hæc, sed momentosa, habeat excerpta: Quidquid in qualibet controversia judicaverit Episcopus, id adeo ratum firmumque esset, ut nemini amplius foret jus superiorem appellandi judicem: singuli autem Magistratus civiles mox exsequerentur sententias ab Episcopo latas: Episcopi quandoque testantis dictis tantum esset tribuendum, ut adversa partis testes, quantumvis & oculati & integri, conticescere juberentur. Enimvero quum quidquid in rebus humanis est nimium, fidem apud cordatos haud inveniat, multi quoque de Jurisdictione hac Episcopali in utramque partem multa disputant. Qui eandem propugnant, ut ab Imperatore concessam, honorem quidem, meritum an immeritum ego non disquiro, Episcopis adserunt: qui vero eam ut plane supposititiam rejiciunt, auctoritati Imperatoris consulunt, qui quum imperii æmulum inter Principes

pes ferre non posset; quo animo jura quaedam Majestatica, eademque præcipua, in Episcopos, Evangelii ministros, sponte sua contulisset? Profecto aut Episcopi istius ævi fuerunt modesti, quam laudem plerisque tribuunt Scriptores, & tunc constitutionem, a negotiorum suorum indole plane diversam, non adfectarunt, aut ambitiosi fuerunt, quod de nonnullis saltem eorum negari nequit, quo in casu Imperator minime tulisset ipsos, in alienam messem falces immittentes; adeoque prædicta Jurisdictio Episcopalis non præsumtionibus, nedum idoneis subnixæ est rationibus.

§. VIII.

Ejusdem ferme farinæ ac consistentiæ sunt, ea, quæ de Donatione CONSTANTINI MAGNI, quam ceu fundamentum tam potestatis civilis quam primatus Ecclesiastici venditant aulæ Pontificiæ clientes, passim perhibentur. Ne tamen fucus prætensionis desideretur, occasionem Imperatoriæ non tam liberalitatis, quam potius prodigalitati, commenti sunt talem: scilicet quum imperator esset Romæ, lepra gravissime affligebatur, cum autem Medici nullum morbi levamen ipsi adferre possent, Papa Romanus, qui tunc sedit, SYLVESTER I. non solum a lepra CONSTANTINUM curavit, sed etiam ab animæ sordibus per baptismi lavacrum, postquam sacris Christianismi eum paullo ante initiasset, iptum liberavit. Ut Imperator vicissim Pontifici ob gratum adeo beneficium promeritas rependeret grates, Romanenses contendunt, quod CONSTANTINUS in favorem Papæ Romani donationem confecerit, cujus instrumenti diu ignorati & perquam mutilati hæc præcipua fuerunt capita: *Quod Pontifex Romanus SYLVESTER & singuli ipsius successores principatum*

habere super omnes in universo orbe ecclesias, præcipue vero super Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam & Hierosolymitanam. Deinde Lateranense Palatium, propriam hæcenus Imperatorum Romanorum sedem, Papa concedit; tum etiam ipsi largitur facultatem diademate, ceterisque insignibus Imperatoriis sollempniter utendi. Et paucis interjectis: Urbem Romam nec non totius Italiae atque Occidentalium regionum provincias, loca, civitates prædicto beatissimo Patri Sylvestro & hujus successoribus per Divinum hoc pragmaticum edictum decernit disponenda & juri S. Romanae ecclesiae concedit permanenda. Datum Romæ 3 Calend. April. Domino nostro Flavio Constantino Augusto & Gallicano, Viris Consulibus & Clarissimis (a). Quod ad isthanc donationem attinet, facilius omnino fuit, eandem ita consarcinatam effingere, quam effectam eam cum quadam veri specie defendere; quod in sequentibus, temporis enim angustia, qua nunc premimur, ulteriorem disquisitionem non permittit, DEO volente, eimus ostensuri.

(a) Vid. Decret. Gratiani Distinct. 96.

